

D. SERAPHINI  
BISCARDI.

PATRICII CONSENTINI,

Libellorum, postulationumque Praefecti,  
vulgò Reg. Cancellariam Regentis,

O R A T I O

Habita in Regiis Aedibus in die Natali

PHILIPPI V.

*Potentissimi, Invictissimique  
Hispaniarum Monarchae.*



NEAPOLI 1705.  
Ex Typographia Felicis Mosca

Digitized by Google

1048.2

ÆQUANIMO LECTORI  
TYPGRAPHUS.

Xcellentissimus Vir Princeps, Emmanuel Paciæcus, Viglienæ Regulus,  
ac Regnum Neapolitanum Prorege obtinens, quo sapienti judicio  
quæque rerum merita censet, is natali PHILIPPI V. die æternam Hispaniensi Imperio salutem  
partam existimans, eam ipsam Anno MCCIV.  
recurrentem celebraturus, baud sanè eo ludorum genere, qui actu delectant, & cursu ipso  
probantur, sed æternis musarum operibus re-  
colendam ratus; præ cæteris Serapino Biscar-  
do, Senatori Regio genetliaca oratione collan-  
dandam, exornandamque mandavit. Et quam-  
quam bic Vir Cl. multa sedulò, & varia caus-  
satus fit, ut ejus vacationem muneric impe-  
traret; tamen Princeps decorum omnino reputans,  
ab amplissimi ordinis viro, eoque ipso  
olim in foro primarum partium Oratore nata-  
lem Regis laudari; ab eo laudativam banc ora-  
tionem citra omnem exceptionem componi, &  
recitari pro imperio jussit. Igitur inter quam-  
plurimas, & gravissimas Reip. curas, quibus

A                      ipsius

2

ipsius vi muneris distinetur , banc orationem est  
commentatus ; eamque in Regiis ædibus apud  
eundem virum Principem , & quidquid illu-  
strius tum civium , tum exterorum eò frequentes  
convenerat , habuit : & tam consensienti omnium  
plausu peroravit , ut mirum ejus legendæ de-  
siderium reliquerit . Iccircò ipse , qui semper  
studii desideriis obsequi eruditorum , ejus exem-  
plar nactus , typis edere statui . Atque babes ,  
erudite Lector , si civis , quod tute desiderasti ;  
si peregrinus , quod te admonitum velim , ut  
noveris , à quo viro , cuius jussu , & qua cele-  
britate bæc oratio habita sit ; si in tuas forte  
manus , non illa , quæ cum aliis de eodem ar-  
menta doctissimorum virorum lucubrationibus  
composita mox typis edetur , sed bæc ab iis  
secreta , ac dissociata pervenerit .



D.SE-

D. SERAPHINI<sup>3</sup>  
BISCARDI  
PATRICII CONSENTINI,

*Olim Advocati Fiscalis Regii Patrimonii, Præsidis Honorarii Regiæ Cameræ, Regentis ele-  
ti ad Supremum Italiae Consilium, nunc  
verò Consiliarii Status Suæ Majestatis, &  
Regiam Cancellariam Regentis in Supremo  
Collaterali Consilio in Regno Neapolis, &c.*

ORATIO.



A fuit ; Excellentissime Prin-  
ceps , rerum humanarum in-  
constans semper conditio , ut  
tam privatæ , quām publicæ  
res stare diu minimè possent ;  
& Imperia , quæ modo pace ,  
& bello floruerunt , occulta fatorum necessita-  
te consenserent , & confectis veluti vitæ spa-  
tiis , non modo interirent , verùm etiā , stirpi-  
bus veterum Regum aliquando excisis , & Re-

A 2

gia

gia nomina , & Regna , perpetuâ sortis vicissitudine, in alienam gentem abirent , & deferrentur . Verùm quot , quantaque calamitatum spectacula ediderint Imperiorum mutationes , nemo profectò erit tam barbarus , & parùm rerum intelligens , quem tot , tantæque excitatæ tragædiæ latere possint , præclarissimi , & ornatissimi Auditores . Hinc ingentes bellorum clades , hinc urbium eversiones , direptiones agrorum , strages , incendia , vastitates , & ultima sævientis Martis exitia . Quippè ea semper fuit ingens , & sacra regnandi cupiditas , nimiusque imperandi amor , ut si quando , variante sæpè fortuna , Regna suis Regibus privarentur , & in aliam potestatem devenirent ; quis est , obsecro , qui vel jure gentis hæreditario , vel vi , & armis viam sibi ad eorum Regnum possessionem non muniat ? atque id adeo frequenter , non solum neglectâ , verùm etiam violata juris ratione , rerum Potentes faciunt , ut vim juri facere æquum esse putarint , juxta illud Cæsaris ex Euripide in Phenissis :

*Eisq; p; adhuc uenit treguus dñi mei natiuitate adhuc.*

*Si violandum est jus , regnandi causa violandum est.*

Quæ

Quæ cum ita sint , & urgentibus fatis , nobilissimo Hispaniarum Imperio , & omnium pulcherrimo Regis sui funus , heu nimis propere ! immineret ; horret animus , quæ nova bellorum materies , quæ rerum publicarum turbamenta , quæ Religionis pericula superessent . O nos miserrimos qualis , quantusque nostro capiti imminebat calamitatum turbo , & ingruens malorum omnium tempestas ! Extimescenda quidem nobis hæc omnia fuissent , & si quæ his graviora sunt , quemadmodum omnis omni ævo Respublica capite orbata suo ferè semper suo malo experta est ; nisi , mutato rerum ordine , summâ Dei Opt. Max. providentiâ factum esset , ut omnia nobis jucundissimis eventibus semper procederent , & feliciora in posterum evenirent . Ita rebus nostris consultum est , ut jacturam tanti Regis hodiernus hic dies repararet , reficeret , instauraret : & tot , tantisque impendentibus malis , quæ declinari non poterant , non solùm præsentissimum remedium mutato etiam Imperio hac die Deus adhibuit ; verùm etiam alia nova fundamenta jecit , & tantarum initia rerum stabilivit , ut quamvis asperrimo bello dimicandum

candum sub ipsis iniciis nobis sit, bella tamen,  
Deo bene juvante, conficiemus, ut liceat sem-  
per sperare meliora. Una salus omnibus ista  
dies: ista, inquam, qua Augustissimus noster  
PHILIPPUS QUINTUS tam fausto, felicique omi-  
ne natus est. O diem benè ominosam aurea  
nobis secula restituturam! Tu felix nostræ  
nuncia salutis: Tu afflictis rebus una solatum:  
Tu quotannis renovas dulcem nascentis Regis  
memoriam. O quam jucundissima erit sem-  
per tui recordatio, cum tot, tantaque benefi-  
cia per te nobis largita singulari Dei munere,  
solemni ritu, & prisco instituto in mentem re-  
vocamus!

Multa in tanta rerum perturbatione nobis  
commoda ea peperit dies, sed duo omnium  
maxima: Alterum, quod dedit Regem: Quid  
felicius? Alterum, quod Hispanos à Gallis,  
quemadmodum rerum dominio sejunxit, ita  
eosdem animorum consensione, & armis ob-  
strinxit: Quid securius? Dies verè foederis,  
quam celebraturi frequentes merito huc con-  
venistis. Lætandum summoperè nobis est, &  
vehementissimè gratulandum. Exultet quanto  
maximo percipi, & cogitari potest gaudio

Civi-

Civitas hæc omnis : parietes ipsi gestiant prægaudentes : Equester ordo , Senatus , & Populus , quantus ille est , mirificè gratuletur : gratuletur Italia , Belgium , Hispania , Christiana omnis Respublica : gratuletur Oceanus , & quisquis ab Oceano alluitur novus Orbis .

Verùm in tanta animorum hilaritate , & publica omnium lætitia illud , ingenuè fateor , maximam vobis lætitiae partem adimet , quod in tanto lectissimorum virorum confessu hac die , qua omnia feliciter cedunt , unus ille deficiat , qui splendida , qua decet , & eleganti oratione , & diem hanc , & celebritatem vestram satis pro dignitate ornare possit . Hoc unum inter tot bona vobis mali accidisse , & sentio , & pudet . Idque cum ipse præsenssem , diu , multumque mecum animo reputavi , num hanc Provinciam suscipere exornandam . Terruit longa horum studiorum intermissio , & publicorum negotiorum , quibus quotidiè distineor , males , & magnitudo : terruit rerum dicendarum Majestas : imbecillitas mea , & confessus iste ornatissimus terruit . Sed omnium maximè tuus me terruit conspectus , Excellentissime , & Sapientissime Princeps . At non

non majestate , & imperio , quod pro dignitate tanto nostrum omnium bono sustines : nam ea est morum tuorum suavitas , ea animi probitas , & humanitas , & ita majestatem temperas , & imperium , ut alicias potius , quam detereas . Acre tuum , quo in literis omnibus præstas judicium : omnium bonarum artium scientiam , eloquentiæ studium , literarum Latinarum , Græcarumque peritiam vehementer extimescebam . Sed omnia vicit suave tuum Imperium , & tua , quam detrectare non poteram , me coëgit auctoritas . Quare , si expectationem tuam fraudavero , tuam humanitatem obtestor ; ut , quæ in hoc dicendi genere , qui nec usu , nec ingenio satis possum , dicturus sum , ea , qua soles benignitate , excipias . Nec necesse habeo silentium vobis indicere , Auditores , cum vos omnes veteris illius formulæ memores profectò putem , qua in Natalitiis celebrandis utebatur antiquitas :

*Natalem colimus , favete linguis .*

Fortunata dies , ò quam recurrentibus annis læta redis ! quam grata , quam jucunda , quam exoptata omnibus exorta es ! Nihil te sanctius ; nihil festivius ; solemnius nihil . Al-

ma

ma dies , qua nulla clarior , nulla felicior , nec auspicatior unquam illuxit , nec in posterum elucescat : dies , quæ in lucem eduxit Patriæ Parentem , Imperio Regem , & Populis felicitatem , Regem , quo nemo genere clarior , in dole augustior , virtute præstantior , temporis opportunior , omnibus fortunæ , naturæ muneribus efflorescentior .

Proponite paulisper animis vestris , qualem , quantumque diem celebramus , optatum magis , quam speratum ; diem divino consilio electum , quo PHILIPPUS Borbonii sanguinis heros , ille nimirum Rex , quem jus causæ , temporum necessitas , & Populorum felicitas expostulaverat , nasceretur . Relegite modò animis infelicem Æuropæ statum : quænam bella superioribus annis exarserint ; calamitates afflixerint ; quibus incendiis Provinciæ conflagrarent ; stratos cadaveribus campos , fluvios militum sanguine infectos ; quis per vestram fidem in turbulentissimis illis temporibus de Republica non desperaret , vel saltem vehementissimè non pertimesceret ? Reges , nec temerè , nec fortuitò nasci exploratum omnibus satis est . Veteram illam rerum , & præsentem memoriam me-

B

cum

cum recolite ; noveritis profecto quantam curam (liceat ita loqui) quantam, inquam, curam, & providentiam adhibuerit Deus Immortalis, ut crearetur Rex, qui Hispanias Hispanis conservaret, & pristinam illius nominis dignitatem affereret, & vindicaret. Et certe, ut illum procrearet Deus, majora moliri oportuit, quam in maximis aliorum Regnorum Regibus unquam molitus esset. Alia gerendarum rerum series paranda fuit. Oportebat Regem creare, qui labantem, fatorum injuria, nostrum omnium fortunam sustineret. Verum heu quanta rerum humanarum occurrabant impedimenta ! Oportebat illum creare charum omnibus, & ab omnibus expectatum, qui sine ulla Populorum dissensione universis plaudentibus Regnis, sine ulla mora, & cunctatione laetissime ab omnibus exciperetur, ne qua partis dissensione tam nobile corpus discerperetur, vel aliqua cunctatio Rempublicam perderet, & periculum subesset, ne, fluctuantibus interea rebus, sine Rectore, qui ad clavum sedereret, naufragium faceret. Illum creare Regem oportuit, qui majorum suorum exemplo Religionem defenderet, & augeret : qui paterno,

terno, maternoque pio semine prognatus, tanquam ex duobus surculis in idem coalescentibus germe, æqualem, imò si fieri posset, majorem parentibus fid i propugnatorem, & vindicem præferret; Regem Imperio dignum, sed sine Imperio, & cui si Regnum deficeret; Majestas non deesset; qui que Regium nomen potius à Regnis acciperet, quam daret; omni Regali decore, & splendore ornatissimum, Regem legitimum, non invasorem, & gentium, & Regnorum jure invitatum, ut justis deinde armis, & justo bello, cum ceteris hanc successionem iniquo Marte inhiantibus propugnaret, Regna defenderet, & tueretur; Regem, inquam, sine Regno, sed qui terrâ, marique paratas haberet classes, & copias, legiones conscriptas, instructas cohortes, equites expeditos, & omnes velut in acie procinctos, ut subito veluti parato exercitu in Regnorum suorum felicem possessionem ingrederetur, & hostes, si qui restiterint, quam longissimè averteret; Regem denique, qui prius Imperator esset, quam miles. Sed nec satis hoc Rege, cui hæc omnia convenient, Hispánicis rebus consultum est. Illo opus erat Principe, qui cum

finitimis, cum quibus, & armis, & animorum contentione, longo temporis intervallo pugnatum est, pacem aliquando sanciret, ut tot, tantisque calamitatibus defatigatum Imperium aliquantulum respiraret : Principe opus erat, quo Res Hispanica staret incolumis, & Imperium hoc integrum, sartum, tectumque sibi, suisque conservaretur. Tantæ molis erat difficillimus hisce temporibus Hispanum condere Regem !

Cumque hæc omnia ab anteacta æternitate nosset Deus Immortalis, unico obtutu cuncta circumspectans, eò defixit lumina, ubi inter Alpes, & Pyrenæos jacet Gallia. Florentissimum ibi Principum agmen vidit, & ex eo Regem exoptatum, omnibus præfidiis instructum, omnibus ornamentiis insignitum, & omnibus hisce virtutibus ornatissimum optavit, ac dignum Hispaniarum Regem præstinavit. Ibi dignum invenit Imperio Principem, sed sine Imperio: majestatem ad tuendam Hispanici nominis dignitatem necessariam; ibi Christianissimo, & Catholico sanguine genitum Adolescentem, & pietatis studio excultissimum; ibi legitimum successorem; ibi bellicos apparatus, & aecin-  
ctos

Etos milites , ut omnia summâ celeritate , & felicitate conficerentur ; ibi & sanguine propriorem , & auxiliis ; ibi magnos LUDOVICI MAGNI , magnorumque suorum introspectis animos , in quibus magna anima illa , & supra hominum fidem tot Regnorum abdicatio elucebat , ut si tanti Imperii successionem sibi , & suis fortuna detulisset , non sibi , nec suis peti-turos Regna , sed Hispanis , quibus ex suo sanguine darent Regem , qui cum Galliis Hispanias animo , armisque conjungeret , sed Imperio separaret .

Ad fæcundissimam igitur regiam arborem conversus , illamque videns renascentibus palmatis abundantem , meliorem ramum avel-lere consilium fuit . Intonuit leuum , manuque illum arripiens : fiat , fiat , inquit , hic surculus Arbos . Felix arbos , nunc dulcis filia , mox crescens æmula Matri . Decreta jamdiu tibi est Hispaniarum successio , & trans Pyrenem Hispanum tibi habe solum , in quo bonis auspicis , & altiores radices agas , & uberioris reflorescas . Te nascente , magnum illud Imperium nimium nobis Religione , & pietate clarum nunquam intereat , & integrum per te maneat ,

ac ,

ac , frementibus licet hostibus , æternūm , manebit : jungantur & armis , & animis invictæ gentes , & quas hucusque gloriæ æmulatio divisorat ad Religionis incrementum jussu meo æternūm , icto fœderè , socientur .

Dixerat ; conceptus Puer est . Nec protractam longius noctem credatis , ut in suo Hercule fabulata est Græcia . Deus , Deus ipse ~~modestus~~ momento temporis Puerum efformavit . Nec Pyrrhos , Annibales , Alexandros , aut Cæsares exempla sibi proposuit : inter ejus Majorum imagines , hinc ex materno genere Carolos , Ferdinados , illic ex paterno alias ; sed inter tot fortissimos , & sapientissimos Reges , unum delegit Ludovicum MAGNUM , ad cuius vivum imitamentum dulcis Nepos efformatur .

Sed jam ecce advenit expectata dies , quam hodie celebramus : Augustam ecce Matrem parientem . O felices Matris labores ! o dulces tanti partus molestiæ ! o suave simul , ac grande onus , quod maturum ad majorem Christianæ Republicæ utilitatem modo deponitur ! Nascere , magne Puer ; adesto , Lucina Mater .

*Et*

*Et modo nascenti Puerō, quo ferrea primum  
Desinet, ac totō surget gens aurea Mundo,  
Casta fave Lucina.*

magnum hunc partum, ortumque beatum adjuva : affer , affer opem parituræ . Sed procul hinc crepundia , corallia , bullæ , ensiculus , cæteraque hujus generis puerilia munuscula : hisce , atque aliis infantium ornamentis Puer iste ad maxima quæque natus abhorrebit. Arma , arma , & Galeæ , scuta , tubæ , tympana , classica , aliaque bellica instrumenta , Hæc erunt Pueri nascentis blanditiae , hi lusus . Petit angues Puer hic , quos , ut novus Hercules , enecare possit in cunis : tenellas infantis Regii manus brevi Avus armabit in Hostes . Exoriare Puer , Religionis amor , Fidei assertor , belli fulmen , nostrum omnium ensis , & clypeus ; humani generis deliciæ , novum Galliæ sydus , & magnum Gallici nominis incrementum ; Hispaniarum reparator , & propugnaculum , Hostium terror , atque , ut uno complectar verbo , exoriare tandem expressissima Avi , & Parentum tuorum imago . Neu lacrimare Puer ad publicam nate lætitiam : Te nascente ridet Cœlum , ridet Tellus , & omnia rident . Tu pri-

mo

mo vitæ limine inter cunabula porrecte Deum  
venerare , cui tantum debes ; & Solem , qui  
tantum Tibi , & nobis aperuit diem primis va-  
gitibus saluta . O quām bene tibi conveniunt ,  
quæ cecinit Claudianus.

*Te nascēte ferunt, per pingua culta virentem  
Divitiis undasse Tagum; Gallæcia risit  
Floribus, & roseis formosus Duria ripis:  
Vellere purpureo passim mutavit ovile  
Cantaber: Oceanus vicino litore gemmas  
Expuit, effossis nec pallidus Astur aberrat  
Montibus.*

Te nascente superbiunt Galliæ ; redivivæ re-  
surgunt Hispaniæ ; & quæ modo æstuabat in-  
ter tot , tantosque Reges discordia , positis odiis  
conquiescit . Sequanam vidimus lœtissimis un-  
dis redundantem , contremiscentem Rhenum ,  
trepidantem Germaniam , Alpes , & Pyreneos  
sese invicem consalutantes , & sibi mutuo ma-  
nus porridentes ; Iberum , Padum , Sebethum-  
que exultantes , exultantem Oceanum , & Eu-  
ripos illos Siciliæ dulci murmure refluentes .

Sed jam , Deo bene juvante , Puerum Augu-  
stissima Mater enixa est . O qualis , quantusque  
splendor visus eo tempore è Cœlo terris de-  
missus ,

missus , ut universus Terrarum Orbis novo quodam lumine repletus esse videretur . Vix nato emicuit facies tanti plena vigoris , tantusque oris decor , ut in ipsum admireris transfusa majorum suorum majestatem , & quot , quantaque sunt decora alta Parentum . Vultu ecce pacem portendit , & arma : sed bellum ita geret , ut parta victoria , securitatem Regno , pacem populis afferat , & universo Terrarum Orbi felicitatem . Natus jam Puer est charus MAGNO LUDOVICO Nepos , qui parvulus aula luderet , atque Avum virtute , & ore referret . Vix natum virtus , & pietas , militiae nimius amor tenerum adhuc Pueri pectus acerrime jamjam stimulabant : & cum paullo adolesceret , tot foris , domique præclarissimis exemplis , quid virtutis , quid constantie , quid militaris disciplinae assiduo Parentum suorum contubernio divinæ indolis Adolescens hauserit , facilius intelligere vos ipsi poteritis , quam ipse verbis valeam exornare .

Sed hæc duo , consilio Dei Opt. Max. ita statuta erant , ut eodem ferè tempore hic ætate , & meritis ad Regni gubernacula cresceret , ut illum Gallia jam non caperet ; Carolus ve-

rd noster , heu pientissimus Rex ! ingravescente morbo sensim deficeret.

O Hispania , Hispania ! quis erit miserrimus tui status , Regis tui funeri sine liberis decadentis superstes ? Heu qualibus , quantisque bellis jactata eris Hispania ! advenit jam tempus , quo veterem virtutem tuam exerceas : edque per ventum est , quo nec mala , nec remedia pati poterimus , nisi antiquam filiorum tuorum fortitudinem , nimia felicitate soplitam , tandem aliquando excitaveris ; illamque florantis Hispaniæ Majestatem , tot præstantissimorum virorum gloria , & insignium facinorum magnitudine partam restitueris ; ut illius vim inexpugnabilem infensi tui nominis hostes experiantur . Redeat , redeat vetus illa Hispaniarum dignitas . Bono esto animo : agere , & pati fortia Hispanum est : & si forte cœca illa rerum humanarum domina non arriserit fortuna , arredit tibi Deus , nimium felix , & dilecta Deo Regio : Deo semper curæ fuit dare tibi Regem : vera quidem Tibi cecinit olim Homerus in Ædes Baetulanæ. Bono , inquam , esto animo : nam in periculis tuis , & quidem maximis præsentissimus semper adfuit tibi Deus : & ubi humana deficiant , ob-

obfirmatè, spera divina auxilia nunquam defutura: de te cecinisse videtur Sybilla, cum inquit

*Καὶ τὸν δὲ Θεόν οὐπαρότερον πέμψει Βασιλεῖα.*

*Tum Deus è magno Regem demittet Olympo.*

Sed ecce mea me non fecellit opinio: Carolus quippe ille Secundus non sine numine Divum, divinoque afflatu successorem, cuius humeris federet Imperium, oneri parem agnoscens, diuturno morbo conflictatus, eundem, inspirante Deo, hæredem fecit, fideique tanti successoris, tot, tantaque Regna commisit, & deposito potius, quam relicto Imperio, maximum sui desiderium relinquens hæc extrema, cum excederet, verba profundit. Capeſſe, inquit, Rempub. incomparabilis Adolescens: Tu tam ampli, magnique Imperii felix esto hæres: illud tot, tantisque nominibus debitum, Tibi, quando mihi liberos invidit fortuna, sine ulla meorum injuria reddo potius, quam relinquo. Hæc mihi rata animi sententia est: hoc extreum esto iudicium: Florentissimam hanc Monarchiam tot laboribus partam, tot bellis quæſitam, tot ducum, & militum meorum sanguine prolatam, quantum ipſe possum, ita Te

C 2 feli-

felicitet Deus, Tibi commendo. Ingredere eodem læto animo Regnum, quo & ipse Te spite, & successore lætus desero. Lætissimo Te excipient animo Hispaniæ, & amplissimæ nostræ ditionis pulcherrima Regna cum me in Te renascentem, & in Te, ne immutato quidem nomine, veteres suos Philippos redivivos venerentur. Hos, quos Tibi trado subditos, quos filiis habeo chariores, tuere, defende, & ama; quamque à Te moriens peto, ut lætior abeam, præsta fidem. Vive memor nostri, justitiæ erga subditos, pietatis erga Deum vive memor: hisque Regnis, quæ tibi jamdiù paraverat Deus, æternūm fuere, jamque vale. Sed lætus abi ~~eo paratus~~ successorem relinquis, qui misericordiam tui jacturam, vel reficit, vel saltem magnopere lenit. Vive felix Carole: ð quam tui dignus suffectus successor est: & si quæ adhuc nostrum Te cura tangit, è Cœlo, quam reliquisti, Rempub. si placet, intuere: lætaberis sanè, & magnopere gaudebis, cum inspexeris Gallos, quos olim validissimos hostes habuisti, & celeberrimas has duas Gentes, & duos Christianorum maximos, ac potentissimos Reges, diuturnis olim bellis inter se con-

contententes, cōspirantes modo, & consen-  
fientes, vi, & consilio omnibus terrori esse, &  
ingentia hæc duo Imperia, hæc duo fidei pro-  
pugnacula adversus Christiani nominis hostes,  
brevi insignes victorias reportatura.

Ita hæc omnia nobis ex voto eventura con-  
fidite, Auditores; hæc enim omnia nobis at-  
tulit ista dies. O diem plenam prosperitatis,  
Hispaniis optabilem, cæteris gentibus celebra-  
dam, horrendam hostibus, Religioni dilectissi-  
mam, & Posteris summis laudibus extollen-  
dam! Regem dedisti literis eximie excultum,  
& semper urgentibus virtutis, ac Regii animi  
stimulis, ad gloriæ fastigium contendentem;  
assiduis corporis laboribus assuetum; & ut ad  
martiales labores validior evaderet, modo per  
præruptas montium salebras, modo per accli-  
ves, devexasque rupes, modo in campo, ge-  
neroſo vectum equo, laboriosa corporis exer-  
citatione decurrentem, & Regium armorum  
uſum, vel jocabundum meditantem, ac per-  
horridos, & devios saltus ferarum cubilia  
lustrantem, & feras ipsas ſæpius agredientem,  
cruore madidum; sudoris plenum, ac pulve-  
ris, ut ita ficta præliorum imagine ad prælian-  
dum

dum non modo assuesceret , sed ludicris hisce ,  
 veluti rudimentis , veris bellorum victoriis Re-  
 gius Adolescens præluderet ; & adumbratis illis  
 concertationibus verum militiæ usum perdsce-  
 ret , imitatus Alexandros , Annibales , Scipio-  
 nes : Regem dedisti , cui , ut regnandi viam fa-  
 cillimè Cœlum strueret , & aperiret , tot , tan-  
 taque congeffit , quanta vel Regum , vel Im-  
 peratorum nemini post hominum memoriam  
 contigere . Cui enim unquam , per Deum Im-  
 mortalem , contingit magnanima illa , & supra  
 hominum fidem tot Regnum abdicatio ? Cui  
 Regnum recens ingresso unanimis tot gentium ,  
 tot Provinciarum longè disitarum , ingenio ,  
 moribus , legibus , & institutis inter se varian-  
 tium , invariabilis , & una in illum consensio ?  
 cui tot felicissimi eventus ? qui hostium insi-  
 fidias oppresserit ; priusquam detexerit ; vix  
 nascentes , & excitatas peremerit , & pacaverit  
 seditiones . Meministis , quamquam animus me-  
 minisse horret , si plebeculæ paucorum ducto  
 motionem recorder ; si verò procerum , equi-  
 tum , populique spectatam fidem intuear , mi-  
 rificè delectabor ; meministis , quando paucis  
Neapoli contra Regem , & Patrjam insanienti-  
bus,

bus, fidissima hæc Civitas inopinatum indignata scelus, & nobilioribus filiis armata suis contra degeneres cives more Majorum, & ut semper præclara, & nova fidei in Regem suum ederet argumenta, facinus vix tentatum extinxit, ut vicerit prius, quàm viderit hostes; illosque fugarit, depulerit, dissiparit: Regem dedisti, qui victorias è manibus hostium abduxerit. Ecce Cremonam, cuius non solum muros, sed etiam portas habebat hostis, obfessam, captam jam, è faucibus hostium ereptam; ejus. Etisque ex Urbe militibus, & ducibus, libera- tam: Ecce tentatam Catalauniam, sed in sua fide, & obsequio persistentem: Ecce frustrata mala omnium proditionum consilia: dedisti Regem, quem Italia vedit præalta animi magnitudine pugnantem, spoliisque hostium onustum triumphantem: Vedit Hispania bellandi avidissimum, & suis finibus exeuntem: & prima armorum fulmina Lusitania jam sensit. Sed quæ major est ejus auspiciorum felicitas, ut classem illam litoribus nostris omnia belli pericula minitantem, superbo bellico apparatu, Hispaniæ oras legentem, & marium veluti dominam percursantem, præclarissimus Gallicæ claf-

classis Imperator, imparibus viribus, & invidentibus ventis, pugnam detrectantem, ad pugnam ita provocarit, ut configere invita coacta sit, &, victoria pro nobis inclinante, partim demersam, partim labefactatam, loco cedere coactam, & repulimus, & ejecimus, ipsamque abeuntem persecuti sumus.

O acta, o gesta, supra quam credibile est, admiranda! O infinita Dei Opt. Max. munera, & beneficia! Regem dedisti, clara dies, & bello promptum, & pace non desidem, aut otio languescentem; cuius invictum animum non alia contristant, quam Majorum exempla, quia superare non possit: cuius semper animo observatur magnanima illa suorum æmulatio, cum noverit Augustissimum Avum suum ad summum gloriæ verticem pervenisse, quem nulli unquam mortalium licebit attingere; illud tantum angit, quod domi, forisque tam illustria monumenta non tam præberent imitandi locum, quam præriperent: quidquid capere potuit unquam mortalitas, explevit feli-citer Avus; cæteris tentare quid restat?

Sed quo me rapuit Oratio? multa oportet prætermittere, multa cursim dicere oportuit; omnia

omnia tamen satis implevero , si ad hanc celeberrimam diem orationem meam convertam . Tu fons , & origo bonorum omnium : Hæc tibi debemus omnia : nulla erit tam ingrata posteritas , quæ te candidissimam diem meritis laudibus non extollat . Dies verè candida , qua præclaras tanti Regis primitias , & prima lucis auspicia celebramus : dies inter faustos meliori lapillo adscribenda ; tibi nunquam Sol occidat , clara dies , quæ res omnes attritas instaurasti ; debilitatas sustinuisti ; penè confetas reparasti ; afflictas erexisti ; nutantes confirmasti : dies nostri Solis fulgentissimus oriens , qui tot tempestatibus obvius turbines , procellas , nubila discuteret , dissolveret , dissiparet . O diem nunquam satis laudatam , quæ Regem nobis dedit , qui omnium hostium impetum retunderet ; turbulentissima tranquillaret ; iustos nobis pararet exercitus ; defenderet classibus maria ; arces muniret præsidiis ; & pericula , quæ nobis omnibus , fortunis , aris , & focis jamjam imminebant , à nostro omnium capite repelleret : diem summa lætitia semper agendum , ludis , spectaculis , classicis , tormentis , tibiis , & tympanis undique strepentibus ;

D effu-

effusâque omnium Ordinum gratulatione celebrandam : diem , quæ Regem asseruit Hispaniæ , & jamdiu exoptatam Galliæ cum Hispania societatem , fœdusque sancivit ; Religioni securitatem , utilitatem populis attulit , & placidissimam universo terrarum Orbi quietem allatura , nisi nimius pugnandi ardor hostium animos inflammasset , & nimium injustum , Deoque invisum bellum , & invito , ut dicunt , Marte suscepissent . Sed venient citè prospera , & lætiora : Deus , Deus ipse pro nobis in armis adest , unde jus stat , & brevi felicissimis bellorum successibus justam bellandi causam definiet :

*Causa jubet superos melior sperare secundos.*

Erit , erit illa dies , qua non solùm defensis , sed prolatis Imperii finibus , profligatis Britan- nis , Batavis , Germanis , cæterisque sui nomi- nis hostibus devictis , insigni victoria triumphantem , Hispania , Belgium , Italia , tot Pro- vinciæ , tot Nationes , tot Insulæ , Terræ , & Maria , & totus penè terrarum Orbis PHILIP- PUM Regem nostrum , tanquam numen cœlitùs nobis demissum venerentur . Tibi igitur hæc omnia , ð alma , læta , felix , necessaria natalis


PHI-

PHILIPPI dies , tibi Patriam , tibi Penates , ti-  
bi fortunas omnes , tibi ferimus nostram om-  
nium salutem acceptam .

*Magna, & clara dies redeas, volvētibus annis;  
At dextro semper Numine, & auspiciis.*

*Tu Hispanum serva Imperium, magnumque  
PHILIPPUM*

*Incolumem, & semper læta recurre dies.*



D 2 AM-

AMPLISSIMO V. ILLUSTRISSIMO D.

# SERAPHINO BISCARDO

J C to S U M M O ,

*Libellorum , postulationumque Praefecto,  
vulgò, Reg. Cancellariam Regenti, inte-  
gerrimo, solertissimo :*

Pro Oratione habita in die Natali

# P H I L I P P I V.

Potentissimi , Invictissimique Hispaniarum  
Monarchae .

**T**e memorant magnum , fortunatumque ,  
PHILIPPE ,  
Quòd claro effulges sanguine BORBONIDUM:

**T**e memorant magnum , fortunatūq; quòd ultrò  
Submittit fasces Orbis uterque tibi :

**A**et ego te magnum , fortunatumque vocabo ,  
Quòd tua BISCARDUS gesta , decusque refert.

Agnellus-alexius Blasius .

Quòd



**Q**uod satus è claro BORBONUM semine: Ibero  
Quòdque auctus sceptro, magne PHILIPPE,  
magis:

*Moribus eniteas tanto, quòd Principe dignis:  
Quòd carus populis, carus es & Superis;*

*Non satis ut felix toto dicaris in Orbe,  
Dum vebitur curru Pboebus, & astra suo:*

*Est opus ore tonet SERAPHINUS, ut audiat omnis  
Ætas, atque Orbis quae decora alta tua.*

Alexander Gyidellus.



D 3

Elo-



**E** Loquii quis fundit opes, quis fulmina vibrat?  
Alter adest Lysias, alter adest Pericles.

**U**nus Partbenope BISCARDUM extollit, & Orbis  
Oratorem unum, quem sacra Pallas alit.

**N**on alio poterant celebrari gesta, PHILIPPE,  
Quam tanti docto pectore, & ore Viri.

M. & Ph.D. Neap. Andreas Mathone.




In-



**I**nclita regnantis dum pandis facta PHILIPPI,  
 Et verba aurato gurgite ab ore fluunt:  
*Magnifico eloquii sonitu Sebetbus ab undis  
 Eccitus, bos stupidus reddidit ore sonos:*  
*Elysiis missus, vel nostris vivit in oris  
 Tullius, aut huic par viribus eloquii est.*

Antonius De-Marino,




Quan-

Quantò splendidior nitet lapillus,  
 Fulvo si medius ligetur auro;  
 Et quantum rosa liliis bonorem  
 Mista purpureo colore praebet;  
 Tantum gaudia, SERAPHINE, nostra  
 Atque laetitias tuus loquendi  
 Et doctus modus auget, & venustas.  
 Nam quid dulcius, aut magis beatum  
 Nobis eveniet, magisve laetum,  
 Quād tuo eloquio frui, PHILIPPI,  
 Quo laudes celebras, sacrumque partum,  
 Dum laeti canimus diem lapillo  
 Signandam meliore, qua PHILIPPUS  
 Nobis est avibus datus secundis?  
 O felix nimium, nimisque cbara,  
 O dies Populis diu vocata,  
 Laetis auspiciis precor recurras,  
 Ut magnos celebrare Regis ortus,  
 Audire & liceat Virum loquendo,  
 Qui vincit reliquos, ut astra Pboebus.

Bartholomaeus Intieri.

Inter



**I**nter tot curas, & tanta negotia, nate,  
 I Procerum plausus demeriture, liber:  
 Te vocat Hesperia Juvenis regnator ab aula:  
 Tu forsan magno munus & ibis Avo:  
 Qui legat, & cum nec Regnum, nec facta Nepoti,  
 Hunc laudatorem, si queat, invideat.

D. Blasii Troyse.



D.SE-

D. SERAPHINO BISCARDO V. C.

In sanctiori Senatu Principis Patricio,

Qui Regnum Neapolitanum

Consiliis, & auctoritate tutatus,

Doctrina, & moribus exornat:

Quod maximi Regis natalitia

Elegantissima Oratione celebrarit,

Quam pauculis, iisque subcisisvis horis

Sic deambulans, interdum sedens

Dictaverat.

Sed nec majore intentione opus habuit

Mirificum ingenium:

Nec majora otia

Publica negotia, quibus dies noctesq; distinctur,

Largiebantur.

Quamque è superiori loco

Regius in aedibus cùm recitaret,

Divina dicendi vi,

Auditores extra se positi,

Raptique,

Inter Graeci fori fulgura, & fulmina

Versari sibi videbantur.

In antiquae amicitiae obsequium;

Et grati animi testimonium,

Dominicus Aulisi P.

*Ut*



**U**T tonat armipotens felici Marte PHILIPPUS;  
Sic, SERAPHINE, tuo grandis o're tonas.

Gaudeat ille tuo, cui contigit ore referri;  
E tu, cui tanti gesta referre Viri.

Non se Mæonides, non se jactabit Achilles,  
Vel meliora tubâ, vel meliore Duce.

Elatos fastus turgens depone, vetustas,  
Invidiosa ibunt secula nostra tuis.

U. J. D. D. Johannes Bortonus.



A-

**S**E d'Achille'l valore , e l'alte imprese  
Sì chiare al Mondo fur , però ch'Omero  
Di loro scrisse con istil sì altero ,  
Ch'Alessandro d'invidia , e scorno acceſe :

Ben fian del Gran FILIPPO al Mondo intese  
Con pregio l'opre , e'l suo valor guerrero ,  
Or ch'avete . Signor , volto'l pensiero  
A far la gloria , e'l nome suo paleſe .

Felice lui , che sì ſcrittore eletto  
Trovò , ch'i fatti suoi con puro inchioſtro  
Trarrà di mano a morte ingorda , e ria .

Ma viè più Voi , ch'a sì ſublime oggetto  
Lo ſtil volgeſte : ond'è , che'l nome voſtro  
Già chiaro in prima , eterno al Mondo or fia .

Del Signor Manfreda.



IN NAPOLI 1705.

Nella Stamperia di Felice Mosca.

1015-2

2

357152











